

DOTATIO MONASTERII S. BLASII. 177

si illuc depositi parte, S. Blasii scilicet cranio, brachio autem eiusdem dextero in Nigræ Silvæ Cella Alba relicto.

SECVLUM
X.

Atque hæc ipsa occasio fuisse videtur factæ inter utrumque monasterium divisionis, auctore præcipuo, ut ipsi Rhenaugienses agnoscunt, Conrado sanctissimo Constantiensium Præfule, qui opportune in hisce turbis anno 934. electus, anno autem 976. mortuus, toto sui pontificatus annorum 42. tempore restaurandis rebus indefessus incubuit, tum præsentis consilio subsidioque, cum etiam apud Ottonem M. interventu: cuius rogatu uti idem Otto Rhenaugiensibus diploma Ludovici Regis anno 973. confirmavit, sic & proprium ac singularem monasterio S. Blasii locorum districtum adscripsit. Neque ullam deinceps Cellæ Albæ in suis monumentis recurrere mentionem fatentur Rhenaugienses; tantum quod in nonnullis chartis promiscue cum aliis possessionibus in *Alpegowe* cum *Aluffin* (Alpfen) *Waltichilchim* (Waldkirch) *Cella*, quæ dicitur *Alba*, recensetur: ex quo fors conicere liceat, in quo loco prius *Cella* ista *Alba* constiterat, de quo in sequentibus disquiremus.

XXII. Res fere ad Reginbertum recidit, quem fundatorem quasi agnoscunt Blasiani, Cella nimirum Alba iamiam a Rhenaugiensi monasterio libera. In San-Gallensi fratrum conscriptorum libro e Rhenaugiensi monasterio, secunda manu, seculi tamen decimi, ut videtur, notatur Reginbertus: qui quidem ob ætatem idem esse posset, qui in Nigram Silvam sese abdidit, ac *primus* ibi ceu eremita habitare cœpit, ut loquitur Ottonianum pro S. Blasii fundatione editum diploma. Vera hæc esse possent, si sumatur primus ibi habitare cœpisse post Ungarorum invasionem (sive etiam Cella Alba devastata fuerit, vel non) ante medium seculi X. ad quod tempus primum Reginbertus occurrit. Sed quæ sit argumenti ex homonymia vis, suapte patet.

S. Blasii monasterium interventu Reginberti ab Ottone Imperatore datum.

Enimvero, ut perhibet anonymus San-Blasianus (qui librum constructionis secundum auspiciatus primam notam chronicam habet) *anno*, inquit, *ab incarnatione Domini nongentesimo tricesimo sexto, Bavaris cum multis aliis contra Ottonem imperatorem rebellantibus, Reginbertus, de provincia Zurichy (Zurichgovia), (in autographo alia manus in margine addidit de Seldenburen), strenuus miles stipendia in eius exercitu meruit, Imperatori charus & familiaris*, quocum etiam ad pugnam aliquando egressus, quem hostes Romanum regnum devastarent, manum in prælio amisisse dicitur. Tum vero accepta Imperatoris licentia *ad fratres incolas huius loci, qui dicitur ad S. Blasium*, venit, quos ob ruinam ec-

MART. GERBERTI NIGRA SILVA.

Z

clesiæ,